

sed Te potissimum durissimo servitutis iugo opprimere molitur, ne inultum abire patiaris, sed ita vehementer oppugnes, ut illum aliquando audaciae et superbiae suae poeniteat. Nam quod Te cupere significas, quodque ii, quos ad Nos misisti, coram etiam narrarunt, ut reges et principes Christiani Tecum contra Turcam foedus ineant, nos idem cupimus, partesque Nostrae pontificiae auctoritatis ad id interponemus, sed res magni momenti diligenti tractatione et non modico tempore indigent. Interea non desunt ex principibus Nostris, qui eum bello exerceant atque infestent, et praesertim carissimus filius Noster Rudolphus electus Imperator, qui continenter cum eo bellum gerit et iam nunc hac ipsa aestate gesturus est, et Nos quoque illi adiumento sumus et auxiliares Nostras copias contra Turcas mittimus et Catholicos principes filios Nostros ad eidem electo Imperatori opem ferendam omni officii genere permovemus; itaque Tuae est prudentiae et consilii uti hac opportunitate, et dum Turca robur exercitus sui in Ungariam mittit et armis Christianis distinetur, Tu illum invade et quasi illius nudatum latus ferro aggredere, ut ille ancipiti bello distractus et pluribus in locis oppugnatus, veluti quaedam ferox bellua multorum venatorum concursu vexata, telisque coniectis saucia, tandem ad terram prosternatur; nihil igitur procrastinandum, ne occasio praetereat, sed quod Nostros ex sua parte facere vides, Tu quoque ex Tua fac et Turcam eodem tempore oppugna quam fortissime; sic Tu Christianis et Christiani Tibi vicissim adiumento erunt, et quod omnes spectamus, re ipsa efficietur, ut communis hostis genuina oppugnatione delibitatus corruiat atque intereat, atque hoc ipsum ad foedus, quod desideras, conciliandum maiorem et faciliorem aditum aperiet, Nosque tanto efficacius de eo agemus, cum apud omnes constiterit, Te summo studio, summo ardore totisque viribus in illius hostis perniciem incumbere, quem ab aliis quoque invadi atque opprimi concupiscis. Quod principes Christiani complures, ut diximus, iam pro sua virili faciunt. Nos vero utilitati et rationibus Tuis et gloriae Tuae valde ex animo favemus et favebimus, quod ex eo facile perspicere potes, quod antequam Tui, quos ad Nos misisti, Romam pervenissent, iam Nos ad Te cum litteris Nostris, amantissime scriptis, duos familiares Nostros miserimus, videlicet dilectos filios Franciscum Costam, sacerdotem Christi, et Didacum Mirandam, ambos Lusitanos et nobis valde gratos, qui cum incolumes, Deo duce, in conspectum Tuum venerint, quod supra quam dici possit optamus, sane ex Nostri litteris atque ex eorum sermone intelliges copiosius, quam praeclaram de Tua virtute opinionem habeamus, et quam benevolo erga Te animo simus, et quantopere cupiamus, non solum Te omni humana felicitate esse florentissimum, sed sempiterna etiam illa in caelo felicitate et beatitudine frui, quam nemo potest adipisci, nisi qui ex aqua et spiritu regeneratus, Christianae fidei veritatem susceperit et professus fuerit. Quamobrem incredibilem voluptatem cepimus ex eo capite litterarum Tuarum et colloquio eorundem duorum praestantium virorum, quod ad Nos misisti, velle Te nimirum, ut Christianis et iis praesertim, qui a Nobis mittentur, aditus pateat in regnum et provintias Tuas, quodque Christianis et Persis libera sint commercia, ipsique Christiani non solum immunitate multisque favoribus et privilegiis a Te ample concessis